

~~E. 17~~

Sammlung

~~G. 17~~

~~XXVIII 9. a~~

~~XV 8. a~~

X. B. 55

58.


46
31

- 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19
- 20
- 21
- 22




Disputationes

- 1 De Juribus Sine domo Saxonica Beckmanni.
- 2 - Terminis Saxonico.
- 3 - Prerogative Jurisdictionis de Persona ad Personam
- 4 - Quae ac Nobilitate Tutelis
- 5 - Pacto Comisotio.
- 6 - Libello
- 7 - Subet obreptione
- 8 - Stillicidii Jure
- 9 - An et quotiens Tres Comites etc. in suis Territ. Statuta
condere possunt.
- 10 - Ubi fides non servanda
- 11 - Excussione Debitoris
- 12 - Qualitate J. Svecici et Saxon. Romani in mater. success.
ab intestato
- 13 - Jure non scripto.
- 14 - Casu fortuito
- 15 - Quae Jura Jure et privilegia.
- 16 - Compensatione
- 17 - Servitutibus
- 18 - Jura.
- 19 - Pactis adjectis
- 20 - In jus vocandi
- 21 - Jura in iure diversitate Nemep
- 22 - Jurisdictione Canonica







Quod felix esse jubeat SS. & individua Trinitas! 16
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

De
JURE
NONSCRIPTO,

Quam
Jussu & Autoritate
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi in Illustri

SALANA JCoorum Ordinis,

DIRIGENTE

VIRIO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOHANN. VOLK. *Bechmann/*

J. U. D. celeberrimo, Consiliario Saxonico gravissimo,
Curia Provincialis atque Scabinatus Adfessore spectatissimo, Pro-
fessore Publico eminentissimo, Da. Patrono atque Promotore suo z-
viternum honorando,

PRO LICENTIA

& in utroque Jure Privilegiis & honoribus DOCTORALIBUS
rite impetrandis,

Publico Doctorum examini offert

GEORGIUS LUDOVICUS *Schild/*

Arnstad. Thur.

Ad diem 13. Martii

In Auditorio JCoorum

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ

Typis NISIANIS, ANNO cIo cLXI.

Per-*Illustri & Generosissimo Comiti*
ac Domino
DN.

CHRISTIANO
GUNTHERO,

Sac. R. Imperii Quatuorviro,
Comiti in Schwartzburg & Hohnstein,
Dynastæ Arnsteti, Sondershusæ, Leutenber-
gæ, Lohrz & Clettenbergæ & c.

Domino suo Gratosissimo,

Disputationem hanc Inau-
guralem

In Studiorum suorum commen-
dationem

humiliter offerè

GEORGIUS LUDOVICUS Schild,



I. N. S. T.



Um teste Pomponio in L. 3.
4. & 5. ff. de LL. & Ulpiano
in L. 1. ff. de susp. tutor. accura-
tius sint perpendenda ea,
quæ usum in vita communi
fortiuntur frequentem; eam

ob causam certò mihi persuasum habeo,
me operam non perditurum, si de juris
non scripti materia, in quotidiana nego-
tiorum & litium occurrentium discepta-
tione frequentissima, inque foro versatis-
sima, & cui ceu matri exhibendam esse re-
verentiam & præstandum obsequium di-
cunt *Chassan. in proem. consuet. Burgund.*
n. 34. Petr. Rebuff. in comment. constit. Re-
giar. tom. 3. in præfat. n. 70. vers. consuetudi-
ni sicut matri. Caspar. Klock. de contribut. c.
12. n. 237. imò tanquam Reginam observan-
dam esse tradit Petr. Anton. de Petra tract.

A 2

de

de potest. princip. c. 4. p. 1. aliquid loco Dis-
sertationis Inauguralis disquiram. Quo-
niam verò tum demum universa benè &
competenter geruntur, si principium fiat
decens & amabile Deo *Nov. 6. in pr.* Idcir-
cò Te, Triune Deus, humiliter veneror, ut
menti & lingvæ meæ radium gratiæ divi-
næ impertiri digneris, quò veritatem in-
profundo latitantem in Tui nominis glo-
riam dextrè eruere valeam.

POSITIO I.

Cùm non infrequens, sed usitatissimum imò sum-
mè necessarium sit, (teste *Bl. in pralud. feud. nu. 8.*
& *Sigismundo Scaccia L. 1. de jud. caus. civ. & crim.*
c. 2. n. 3. quibus ad stipulari videtur Julianus in l. si
13. §. utrum ita. 3. ff. de R. D. Animadvertendum igitur
est (inquiens) quid sit, de quo quaritur,) ut omnis discepta-
tio de realiqua, quæ à ratione suscipitur, à definitione o-
riginem sumat, quo intelligi possit, de quo disputetur.
Meritò principii loco definitionem juris non scripti
præmittendam esse arbitror, siquidem definitio proprie-
tatis quædam amissis & rotius exactæ tractationis fun-
damentum quoddam non ineptè appellari potest.

II.

Antequam autem ad ipsam definitionem Realem
deveniam, pauca de vocabuli diversimoda acceptione
adducenda sunt, ne, quo in sensu hîc acceptum velim,
latere

latere quem possit: siquidem in illius recta & commoda
explicatione plurimum momenti situm est. Plerumque
etiam evenire solet, ut intellectus, qui naturâ suâ satis im-
becillis est, facilèque decipitur, similitudine & æquivo-
catione rerum seductus, aliud pro alio, falsum pro vero
incautè arripiat. Homonymia enim secundum Philo-
sophos est genetrix errorum & controversiarum pro-
creatrix. *Scalig. Exerc. 140. n. 4.* Nihil autem tam con-
trarium est consensui quàm error *l. 15. de J. dist. l. 116. §. 2.*
ff. de R. J. qui verò in disputando consensum tollit, so-
lem è mundo tollenti non videtur absimilis.

III.

Accipitur itaque jus non scriptum juxta *Bart. in l. 32.*
vers. veniamus n. 6. de LL. in hac materia triplici modo:
(I.) latè & generaliter pro assuefactione, quomodo *l. Rhetor.*
10. dicuntur consuetudine ea fieri quæ euntque homi-
nes, quia sic fecerunt, faciunt, & hac ratione omnibus
competit animalibus, uti patet *ex §. pavonum 15. J. de R.*
D. quò referri potest illud vulgò jactari solitum, consue-
tudinem esse alteram naturam. *L. si quis post h. g. in pr. ff. de*
liber. & post h. (II.) Pro facto plurium personarum,
quod appellatur usus s. mos. *arg. l. 32. pr. de LL.* ibi: quod
moribus introductum est, & hoc modo consuetudo fa-
cti est & probanda, uti expressè colligere est *ex c. 1. d. con-*
stit. in 6. (III.) Propriè pro jure quod resultat ex usu &
moribus plurium personarum. *l. 32. h. r. & r. r. C. quæ*
sit long. consuet. *Bart. ad l. 32. n. 6.* Et hæc est juris non
scripti s. consuetudinis, prout ea hîc considerata ve-
nit, genuina & propria significatio. *Vid. Hunn. in Resol.*
Trent. Disq. 1. th. 9. lit. A. vol. 1.

IV.

Observandum hîc est, jus non scriptum in ultima acceptione consideratum, iterum dupliciter sumi: (I.) Strictè pro eo jure, quod profluit ex usu & moribus in statu populari *arg. l. 32. §. 1. l. 35. de LL.* (II.) Latè pro jure ex usu in quocunque Reip. statu. *arg. l. 1. §. 1. f. C. qua sit long. consuet. l. 3. C. de edific. priv.*

V.

Excusâ juris non scripti homonymia ad rei nunc accedo definitionem. Definiri autem potest jus non scriptum, quod sit jus subditorum usu introductum, tacitoque summæ potestatis consensu approbatum. *arg. §. 9. J. de J. N. G. & C. l. 32. ff. de LL. l. 35. d. 1. vid. Nobiliss. atque Consultiss. Dn. D. Struv. J. Cuius Excellentiss. Exerc. 2. th. 18.* Varias variorum definitiones juris non scripti vide apud *Roch. Curt. in prefat. n. 9. & seqq.*

VI.

Jus non scriptum appellatur jus formaliter ratione essentiali atque formæ suæ, seu ut in se consideratur: materialiter sc. respectu introductionis illud facti esse, rectè dici potest, quippe cum ex moribus & actibus hominum profluat & probatione indigeat. *l. 4. de custod. reor.* Formam & differentiam specificam juris non scripti tacitum populi consensum esse, *ex l. 32. l. 33. l. 34. l. 38. 39. 40. ff. de LL.* colligere est, hoc enim à jure scripto differt, quod expresso jussu constare debet. *Vid. Pralaudatus Dn. D. Struv. J. Cuius famigeratiss. d. Exerc. th. 19. Treutl. Diss. 1. th. 9. lit. B.*

VII.

Nobilis hîc resolvenda venit quæstio: num jus non scriptum in Scripturam redactum, nomen juris scripti indu-

induat? Negativa hac in quaestione subscribendum esse
autumo, quia jus non scriptum ut plurimum memoriae
& facilioris saltim probationis causa literis consignatur;
sicut videre est in contractibus, qui consensu perficiun-
tur, nec scripturam aliquam exigunt, tamen interdum
ex conventionem partium conscribuntur, non ut fiant
contractus in scriptis, sed ad commodiorem rei gestae
probationem. *l. contrahitur. 4. de pignor. l. 4. de fid. instr.*
Sic testamenta nuncupativa secundum hodiernam ob-
servantiam in scripturas rediguntur, ne scil. morientibus
testibus fides ipsorum intersidat. Eodem etiam modo
consuetudines feudales, licet in scripturam redactae fue-
rint, nihilominus consuetudines & jus non scriptum vo-
cantur: *Vid. Praeaudatus Dn. D. Struv. Exerc. feud. 1. th.*
7. Vultei. ad S. 3. I. de J. N. G. & C. Mozz. tract. de feud.
5. 1. n. 34. Bartol. in l. 32. n. 7. 8. ff. de LL. Alia vero ratio
tum obtinet, si jus non scriptum per modum expressae
sanctionis ab eo, qui legis condendae vim habet, in scri-
pturam formetur. *Trensl. disp. 1. th. 9. lit. C. vol. I.*

VIII.

Visa definitione Reali divisio juris non scripti ve-
nit consideranda, quippe quae animum legentis incitat,
mentem intelligentis praeparat & memoriam ingeniosè
reformat. *gloss. in procem. J. S. igitur. verb. ead. instit.*

IX.

Dividi proinde rectè potest jus non scriptum in
Generale & Speciale. *Job. Fab. ad S. 9. J. de J. N. G. & C.*
Generale, quod universaliter consensu omnium
est approbatum & omnes tangit, imò tanquam noto-
rium non indiget probatione, sed sufficit illud allega-
ri, & legis & veritatis habet vigorem, juri communi et-
iam

iam derogat & communissima opinioni praefertur. l. 32.
ff. de LL. Bart. in l. vires 8. in f. C. de divers. off. Jason. in
l. 5. col. 9. ff. de J. dict. aur. prax. Robert. Marant. p. 3. num.
129. fol. 40. Job. Siehard. in l. 1. n. 7. C. de servit. Andr. Gail.
lib. 1. observ. 85. num. 7. Dn. Carpzov. in proc. jur. Saxon.
T. 16. art. 3. n. 22. Speciale seu locale, quod omnes de
Civitate servare sunt obstricti, quia vim habet legis mu-
nicipalibus sive statuti. l. 3. C. de sepulch. viol. l. 1. & 3. C. qua
sit long. consuet. Cyn. in l. 2. C. qua sit long. consuet. Wesemb.
in w. ff. de LL. n. 9.

X.

Ad Jus non scriptum introducendum quatuor re-
quiri vulgò statuunt Dd. vid. Myns. 6. observ. 41. Gail. 2.
obs. 31. Dn. Hahn. in observ. Theor. pract. ad tit. 3. ff. de
LL. pag. m. 140. Sutholt. ad J. Diss. 1. Singula itaque se-
cundum ordinem propter unam vel alteram difficulta-
tem examinanda sunt.

XI.

Primò autem requiritur Rationabilitas. Cùm e-
nim jus non scriptum s. consuetudo jus sit, uti patet ex §.
3. J. de J. N. G. & C. non magis sine ratione esse poterit,
quàm homo sine anima: quia anima juris est ratio l. si &
me 32. ff. si cert. pet. l. si quid vendit. 18. ff. de adilit. edit. l. 17.
l. fraus. 30. l. 39. ff. de LL. l. 6. §. 1. de V. S. Notandum hïc
est, quod rationabile aliquid sit vel ex se vel opinione, aut
etiam ad statum Reipub. cui quod contrarium est, non
protinus irrationabile habendum: multa enim condi-
ditio & scopus Reip. vel legislatoris excusat; uti elegan-
ter statuit Nobiliss. atque Consuliss. Dn. D. Schroter, P. P.
celeberr. in Not. ad Sutholt. aphor. 90. diff. 1. Nec consue-
tudo ex eo irrationabilis dicenda, si agat contra Jus Gen-
tium

tium & Civile §. pen. J. de J. N. G. & C. vid. Gail. 1. observ. 36. n. 2. & seq. 2. observ. 52. n. 17. 2. observ. 96. qui multa exempla ad hanc rem facientia adducit. Mynsing. 1. observ. 67. 3. observ. 39. Hering. de molend. q. 2. n. 4. & seqq. Jus Naturale verò quod apud omnes gentes peræque observatur, & divina quadam providentia constitutum, jus non scriptum non potest tollere, quia semper firmum atque immutabile manet. §. pen. I. de J. N. G. & C. Magnif. Dn. Ordinarius D. Richter, J. C. us celeberrimus, decis. 96. n. 38. Cùm igitur jus non scriptum ipsum jus naturale non possit tollere, sequitur quod nece, quæ ex jure naturali descendunt, mutare queat, uti apparet in Legitima, quam jus non scriptum liberis auferre non potest, quia Legitima succedit loco alimentorum, uti patet ex Nov. 118. cap. 3. petitio autem alimentorum nullo jure adimi potest, cùm alimenta jure naturali debeantur. Dubium hîc movere videtur l. 14. C. de legit. hered. in qua L. asseritur, Legitimam deberi à jure Civil. Resp. distinguendo: Aut enim Legitima consideratur respectu naturalis inclinationis, quâ parentes ad liberos alendos tenentur, & hoc modo Legitima est juris Naturalis: Aut respectu certæ quantitatis vel portionis, & hac ratione est juris Civ. vid. Mynsing. 5. observ. 43. Gail. 2. observ. 122.

XII.

Secundò temporis diuturnitas. Diuturnitas temporis hîc propterea necessaria est, quia jus non scriptum requirit consensum tacitum populi: nam ante lapsum temporis non præsumitur cum effectu voluisse recedere à lege scripta populus. Quantum verò temporis spatium hîc requiratur, anxie inter se disceptant Dd. Quidam arbitrantur, inter quos est Donell. l. 1. comment. jur. civ.

B

cap. 10.



cap. 10. decennium requiri. Quidam, quos inter est Hotomann. ad §. 9. f. de N. G. & C. immemoriale tempus desiderant. Rectius sentire videntur ii, qui hoc tempus prudentis judicis arbitrio committunt, ita ut in rebus arduis tempus majus, in rebus autem exigui momenti brevius v. g. decennium statuatur. Vid. Nobiliss. atque Excellentiss. Dn. D. Strauch. Prof. Publ. celeberr. Diss. 1. th. 10. Duar. c. 11. de Leg. Cujac. lib. 20. observ. 1. Groz. de J. P. & B. 2. c. 6. num. 5. Treutzl. Disp. 1. thes. 9. lit. E. vol. 1. Hahn. d. l. p. m. 142. Bronchorst. cent. 1. adfert. 8.

XIII.

Tertiò frequentia actuum. Ante omnia hinc actuum qualitas perpendenda erit. Debent autem actus esse (I.) voluntarii, alias enim non possunt indicare populi consensum. (II.) Publici non clandestini, ut constare possit de consensu populi communi. (III.) Frequentes l. 5. l. 6. ff. de LL. Quot verò actus adesse debeant, de hoc maxima est opinionum varietas. Relictis aliorum judiciis etiam hoc arbitrio judicis committendum esse statuo; cum ea, quæ in jure certò definita non sunt, meritò judicis decreto tribuantur. l. 1. §. fin. ff. de jur. deliber. l. 7. de contrah. emt. Vid. Menoch. de arbit. jud. quest. cas. 81. Neque de necessitate est, ut hi actus sint judiciales, siquidem etiam extrajudiciales sufficiunt. Panorm. in c. fin. n. 10. x. de consuet. Cothm. resp. 34. n. 66. & seqq. vol. 2. & ad tit. 14. C. n. 230. & seqq. licet negari non possit, quòd fortius ea, quæ in judicio, quàm quæ extra judicium gesta sunt, probent. l. 34. ff. de LL. Vid. Pralaudatus Dn. D. Strauch. d. l. Hanc quoque opinionem Cameram Imperialem secutam fuisse testatur Gail. lib. 2. observ. 31. n. 8.

XIV. Quar.

XIV.

Quartò Consensus populi. Consensum populi tacitum, qui superiorem non agnoscit, causam proximam juris non scripti esse, patet expressè *ex l. 32. §. 1. verb. iudicio populi recepta ff. de LL. Bocer. class. 1. Disp. 4. thes. 3. Gail. 2. observ. 31.* nisi enim consensus interveniret, non posset censerì jus, nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur. *l. de quibus 32. ff. de LL.* Neque sufficit, si dicatur, populi consensum adesse, sed actus sive exempla consensum illum confirman-
tia requiruntur *l. 1. ibi: probatis his, qua in oppido frequen- ser. C. qua sit long. consuet.* Aliud vero statuendum esse in populo, qui superiorem recognoscit vel imperio superioris se submitit, facilè concedi potest, siquidem talis populus non nisi per superioris consensum vel patientiam consuetudinem introducere valet. *vid. Oldendorp. ad L. 32. ff. de LL.*

XV.

Explicatis quatuor juris non scripti requisitis, lubet inquirere, quibus modis jus non scriptum, licet ipsum, de quo constat, esse introductum, sit jus, quia tamen ex facto resultat *c. 1. x. de constit. in 6.* facta autem non præsumantur sed probanda sunt *l. in bello. 12. §. 2. ff. de capt. & postl. revers. l. 13. §. f. de publ. in rem act. l. 10. C. de non num. pec. l. 1. C. de probat. Gail. 2. observ. 13.* probari debeat.

XVI.

Ad probandum Jus non scriptum testes duos in a-
ctuum & temporis depositione convenientes sufficere arbitror per *l. 12. ff. de LL. vid. Cujac. lib. 20. observ. 1. Bart. in l. 2. C. qua sit long. consuetud. Johan. Fab. ad §. 9. J. de*

J. N. G. & C. licet tutius esse videatur plures testes producere. Confer. Coler. de process. execut. p. 1. c. 3. n. 34. & seqq. Mascard. de probat. conclus. 423. Dn. Habn. in observ. ad Wesemb. p. m. 143.

XVII.

Probari etiam potest Jus non scriptum Scripturis videlicet libris publicis, attestatione seu scriptura Magistratum. arg. l. ult. in pr. C. de LL. Bart. in l. 32. num. 21. Treutl. Disp. 1. th. 9. lit. H. in fin. Aliud obtinet in consuetudine notoria, quæ probatione non indiget, cum ea quæ notoria sunt, non egeant probationibus c. super eo. 3. x. de testib. c. evidentia 9. x. de accusat. Vid. Vasq. in præfat. controuv. illustr. n. 25. & c. 2. n. 11. Mynsing. 6. observ. 3. Coras. p. 2. de art. jur. c. 10.

XVIII.

Elegans jam occurrit quæstio: an Doctori excellenti de consuetudine attestanti, fides sit adscribenda? Licet multi sint, qui affirmativæ subscribant, inter quos est Mynsing. observ. 96. cent. 5. n. 4. & 5. qui d. l. refert, opinionem hanc in Camera Imperiali approbatam esse Prosp. Farin. in prax. crim. quæst. 14. n. 32. quid. l. afferit, quod consuetudo probetur per attestationem Doctoris illius loci, ubi ipse versatus est, secus extra illum locum: attamen falvis tantorum & aliorum virorum opinionibus negativa magis mihi arridet, & quidem (I.) arg. l. 12. ff. & l. 9. §. 1. C. de testib. l. 20. in fin. C. de quæst. (II.) ex hoc fundamento, quod consuetudo sit facti c. 1. de const. in 6. & facta prudentissimos plerumque fallere possint, arg. l. 2. de jur. & fact. ignor. imò incerta sint & plena circumstantiarum. Gothofred. in not. ad l. 16. ff. de stat. hom. lit. 2. Neque hîc illud, quod communiter dicitur, cuilibet in arte

arte sua credendum esse, moveri posse videtur, quoniam consuetudo non nascitur ex doctrinis & Dd. libris, sed ex consensu & populi actibus. Judex verò si ex actis publicis actus, in quibus hoc vel illud jus diu observatum fuit, producat, rectè consuetudinem ostendisse censetur. *Vid. sapius laudatus Dn. D. Struv. d. l. th. 21.*

XIX.

Num duæ consimiles in eodem litis genere sententiæ consuetudinem faciant hîc non incongruè quæri potest? Et Resp. quod non, quia notissimi juris est consuetudinem à rebus judicatis distingvi. *l. 38. de LL. (II.)* quia de tacito populi consensu constare debet. *l. 32. in fin. de LL.*

XX.

Ulterius non incommodè hîc quæritur: an consuetudo, quæ libris Mercatorum plenam fidem adscribit, sit approbanda? Quoniam hac in quæst. non exiguæ auctoritatis viri affirmativam arripere amant, placet mihi illorum opinionem hac vice defendere, modò hæc quatuor reperiantur in mercatore (I.) ut sit bonæ famæ & fide dignus. (II.) ut causa debiti sit expressa. (III.) ut liber rationum contineat & data & accepta cum dierum consignatione (IV.) ut sit scriptus propria manu mercatoris. Ultimam quod concernit, non arbitror, illud necessariò requiri, si rationes ab administratore vel institore aliave persona fide digna fuerint consignatæ. *vid. Felin. in c. 2. num. 26. de fid. instrum. Jason. in repet. l. admonendi num. 227. ff. de jurejur. Bald. consil. 198. num. 3. vol. 1.*

XXI.

Num propter consuetudinem à dolo quis excusari possit, dubitatur? Affirmantium castra sequor (I.) ob textum

B 3

tum

rum l. 22. §. ult. ff. de pign. act. vid. gloss. ad d. l. (II.) quod
is, qui facit illud, quod ab aliis fieri solet, non solum non
in dolo sit, sed ne quidem in culpa. vid. Jason. in l. certi
condict. 9. §. 2. in fin. si cert. per. (III.) quod consuetudo
faciat licitum, quod alias est illicitum c. obiciuntur 32. C. 7.
9. 4. (IV.) quod consuetudo generalis bonam fidem
inducat. Vid. Zenob. vir legum peritissimus conf. 370. lib. 3.

XXII.

Non verò excusat consuetudo à poena in his, quæ
suaapte natura mala & detestabilia sunt, vid. Magnif. Dn.
Ordin. d. decis. 96. n. 39. Bald. in l. de quibus. 32. col. 20. ff. de
LL. Et pro hac opinione optimè videntur facere textus
ex jure Can. vid. cap. ult. x. de consuetud. cap. 8. c. 9. & c.
16. de Simon. cap. 11. x. de excess. pralat. gloss. ad d. cap. in
verb. Autoritas. Conf. Hippol. Marsil. in l. 1. col. 12. versic.
19. ff. de Sicar. Ans. Fab. lib. 6. conclus. 8. n. 27. Joh. Wilhel.
Rövestranck. de redhib. indic. equestr. c. 2. n. 1. Anton. Flor.
vir juris divini & can. solertissimus tit. 30. c. 1.

XXIII.

Neque privata cujusque consuetudo à delictis &
poena excusat, sed multò magis auget & delinquentem
acrius punit l. 28. §. solent. 3. & §. 10. ff. de pæn. l. 1. de jur.
patron. diuturnitas enim temporis non minuit sed au-
get delicta per text. l. nemo 3. C. de Episc. aud. imò nec poe-
na minuitur sed augetur, etiam si antiqua delicta præscri-
pta fuerint. Bald. in auth. sed novo jure num. 4. & ibi etiam
Cæpol. num. 98. in f. C. de serv. fugit. Consideratur etiam
qualitas reiterationis delictorum sive priora delicta sint
commissa in uno eodemque loco & territorio sive etiam
in diversis. Bart. in l. si cui 7. §. fin. ff. de accusat. Bald. in l.
certum 6. col. 1. in fin. ff. si cert. per.

XXIV.

XXIV.

Publicam autem consuetudinem, quæ videlicet u-
no omnium consensu inducta & jam longo tempore ob-
servata, excusare, non negandum erit, modò non sit
contra jus divinum aut naturale, uti *thes. 17.* dictum, &
non per principem aut legem abolita, aut, ut vulgo dici-
tur, cassata, siquidem consuetudines & statuta, quæ sunt
cassata à principe, non valent, nec excusant transgressio-
res à pœna. *vid. Bald. in Auth. omnes peregrini C. comm. de
succes. Roch. Curt. in c. uli. colum. 10. d. constit.*

XXV.

Utrum consuetudine privilegium fori Clerico con-
cessum tolli possit, controvertitur? Negantium opinio-
nem restrictione & limitatione aliqua adhibita apprehendi
posse, existimo, quòd sc. consuetudo non possit in
totum & generaliter Clericorum privilegio præjudicare
ac derogare, sed benè in aliquibus casibus particularibus
& ex rationabili causa illud restringere. *vid. Covarruv.
pract. quest. c. 31. n. 5. vers. quam ob rem &c. Clar. in pract.
Crim. q. 36. vers. sed ea retenta.* ubi dicit: quod hæc sen-
tentia pluribus locis in practica observetur.

XXVI.

Porro disceptatur: num consuetudo interrupta di-
ci possit, si populus contra eam utatur? Distingvo: aut
enim populus post consuetudinem præscriptam per er-
rorem utitur contra illam, & tunc non interruptit, quia
non habet animum eam tollendi, aut vero ex certa scien-
tia utitur contra eam non simpliciter sed legem conden-
do contrariam, tunc tollere illam videtur. *l. 3. §. 5. ff. de
sepulch. viol. arg. l. nihil tam nat. 35. ff. de R. J. §. pen. I. de
J. N. G. & C.* si vero usus populi non sit sufficiens ad con-
tra-

trariam consuetudinem inducendam, non tollit consuetudinem legitimè præscriptam *arg. l. 27. §. pactus. 2. vers. sed se pact. ff. de pact.*

XXVII.

Improbatur & rejicitur etiam merito illa consuetudo, quæ sub certa poena prohibet, ut, quod unus coepit, alteri perficere non liceat, cum expressè *in l. unic. C. de monop.* sancitum sit, quod unusquisque sine timore dispendii perficere possit illud, quod ab altero inchoatum & derelictum est. *Vid. Dan. Moller. lib. 2. semest. cap. 15. Dn. Carpzov. in Jurispr. for. part. 2. Constit. 6. defn. 11. n. 6.* qui notabile d. l. adducit præjudicium, cujus verba hæc sunt: *Ob wohl in euren Innungs-Briefen klar und deutlich versehen/das/was ein Eischer zu arbeiten angefangen und liegen lassen/ ein ander Meister in solchem Handwercke nicht verfertigen und ausarbeiten dürffe/ Dieweiln aber gleichwohl dergleichen Vernehmung und Ordnung denen gemeinen Käyserlichen Rechten schnurstracks zuwider ist/so sind auch berührte Innungs-Briefe/so viel diesen Articul anlanget/zu Recht nicht gültig noch zulässig.*

XXVIII.

Juris non scripti s. Consuetudinis denique vis atque effectus non minor est quàm ipsius legis. *l. 33. ff. de LL. Magnus Dn. D. Richter. 7. Crus longè celeberr. decis. 70. n. 42.* omnes enim actus dirigit ac informat, *Anton. Fab. in Cod. lib. 4. tit. 7. defn. 21.* & obligat ad scientiam, obedientiam aut ad poenam non solum in contractibus *l. si fundus 6. de evict. l. 31. §. 18. de edil. edict.* sed etiam delictis & aliis actionibus humanis. *l. saccul. 7. de extraord. crim. l. 16. §. pen. de pæn.* Commodè hîc loco clausulæ illa decidi poterit controversia: an Lex per consuetudinem

nem

nem contrariam tolli atque mutari possit? Adfirmo per
l. 32. §. 1. de LL. vid. Dn. Arum. disp. 1. aphor. 93. Ratio-
nem dubitandi movet *L. 2. C. qua sit long. consuet.* Ad
quam legem resolvendam non concors omnium est o-
pinio. Quidam autumant, quod d. l. non de quavis con-
suetudine, sed de ea saltem loquatur, quæ rationi & legi
contraria est. Quidam distingvendum esse putant in-
ter consuetudinem generalem & specialem. Alii dicunt,
d. l. 2. ad statum Monarchicum restringendam esse. Abs-
que ullius præjudicio *d. l. 2.* ita intelligi posse arbitror,
quod scilicet consuetudo non possit vincere rationem h. e.
non debeat esse irrationabilis, & non possit vincere le-
gem, quam Princeps non obstante ulla consuetudine
vult observatam. Et hæc pro ratione temporis & institu-
ti ex juris non scripti materia delibasse sufficiant. Si quid
igitur candide Lector, minus rectè positū fuerit propter
temporis inopiam, rogo, memor sis *l. 3. §. si quid autem. 13.*
C. d. f. v. E. ubi dicitur: quod in nullo aberrare seu in o-
mnibus irreprehensibilem seu inemendabilem esse divi-
næ solius, non autem mortalis sit cōstantiæ seu roboris,

CORONIS.

1.

Civitas potest condere statuta absque
superioris confirmatione, modo in iis
jus superioris non lædatur.

2. Is, qui Titium interficere vult, Sempro-
nium fortè interimit, pœnâ L, Cornel.
est dignus.

C

3. Quod

3. Quod lusu deperditum est, non necesse
habet debitor solvere.
4. In Criminalibus non est admittendus
Procurator.
5. Maritus uxoris suæ Curator esse potest
de jure Sax. non vero Civ.
6. Adsertioni vulnerati in articulo mortis
factæ, credendum non est.
7. Fur, si rupto laqueo vivus in terram de-
cidat, iterum strangulari debet.
8. Q. an rem furtivam in ædibus alienis per-
quirere licitum sit. A.
9. Q. An Thesaurus in ædibus venditis in-
ventus ad venditorem, an vero emto-
rem spectet? A. post.
10. Q. An Virgo, per vim stuprata, desinat
esse Virgo? N.
11. Q. Titius Sempronium diffamat, referens
se ex Mævio audivisse, quod Sempro-
nius furti insimulatus fuerit, an injuria
commissa sit respectu Titii diffaman-
tis? A.
12. An Filius. possit testari de peculio ad-
ven-

ventitio extraordinario gravis inter
Dd. est controversia. Quod possit
pro cathedra defendere conabor.

13. Q. An fugiens è carcere habeatur pro
confesso. D.

14. Q. An vidua nubens intra annum lugu-
brem incurrat infamiam? N.

15. Q. An accusatus ob delictum aliquod
pendente lite è collegio opificum re-
pelli possit? N.

16. Q. Si injuria facta ipsi judici, an iudex
de injuriis sibi illatis inquirere ipse
possit? Dist.

17. Mulier in Criminalibus testis esse po-
terit.

18. Q. An inquisitus, qui aliquod delictum
confessus est, etiam de aliis delictis
mediante torturâ interrogari possit
sine novis indiciis? N.

19. Q. Num Advocato honorarium debeat
tur, qui in causa succubuit? A.

20. Q. An Traditio annuli, osculum &
benedictio sint de substantia Docto-
ratus?

21. Q. An is, cujus pecunia res mobilis vel immobilis comparata vel refecta, in ea re jure hypothecæ præferatur omnibus creditoribus etiam antiquioribus? A.
22. An Legitimati per subsequens matrimonium in feudo succedant? A.
23. An Princeps ex plenitudine potestatis bona privatis auferre possit? N.
24. An injuriatus injurianti propinando censeatur remisisse injuriam? A.
25. An sanguis ex occisi vulnere promans, sufficiens ad torturam indicium contra designatum præbeat? N.
26. An Creditor invitus ad particularem solutionem recipiendam compelli possit? N.
27. An ille, qui excipit in judicio contra testes, quod sint falsarii, improbi, criminosi, & non probat, actione injuriarum teneatur? N.
28. Num virgo pro defensione pudicitiae aliquem impunè possit interficere?

29. An

29. An ad carnificem omnia illa, quæ in loco (ubi homicidium sui ipsius patratum est) infra, supra, fursum & deorsum in circumferentia gladio attingere potest, spectent? N.

30. An Mercator, si rem aliquam furtivam fortè bonâ fide in publico foro s. nundinis emerit, illam teneatur recognoscanti Domino non soluto pretio restituere? A.

31. An Mercatores extra causas mercatorias aut alii illiterati ad judicandi munus & Reip. gubernacula rectè adhibeantur? N.

32. An Ministri Ecclesiæ ob verba duriora in suggestu proposita possint conveniri actione injuriarum? Dist.

33. Sola confessio veneficarum & sagarum neque ad inquisitionem neque torturam earum quas indicant, sufficit.

DEO TRIUNI SIT LAUS HONOR
ET GLORIA.

C 3

No.



Nobili atque CL.

DN. GEORGIO LUDOVICO
SCHILDIO, J. U. Doctorando
dignissimo,

*Fautori, Amico atque Cognato pl. dilecto
ac honorando,*

Disputatione Inaugurali vitæ Academicæ
valedicturo Advocatique spartam
suscepturo,

FELICITER!

Relictâ Cathedrâ petitur sic Curia ritè;
Sis CLYPEUS miseris, mente manuq; pre-
cor.

*Joh. Ern. Gerhardus, SS. Th. D.
& P. P.*

Altius exurgit cœli Phœbeja Lampas
Jucundos veris ferre parata dies.

Tu

TU LAURI THEMIDOS cupidus sic pulpita scandis,
Ergo capeffenti præmia, vota fero.

Protege, ceu prodit nomen, sacra jura cavillis,
Et monumenta nova non moritura PATRIS.

*Clarissimo & Per-Eximio Dn. Respondenti,
Amico & Inquilino meo pl. dilecto, boni
omnis & benivolentia ergò f. gr.*

Christoph. Philip. Richter / D.

*Com. P. C. Collegii Jurid. Ordina-
rius & p. r. Decanus.*

SAt benè certatū, SCHILDI, nunc abjice parmā,
Patria sperat opem, poscit Te curia supplex,
Altius ad dignas animo confurgere curas
Te decet. En virtus TIBI jam decernit honores,

*Nobili atque Clarissimo Dn. SCHILDIO,
pro summo in Jure obtinendò gradus
disputanti*

Imy, gr.

Joann. Andr. Gerhard, D.

Justitia æquatâ lance & mucrone coruscô
pingi solet: figura quidnam denotat?
Scilicet ipsa suum cunctis dispensat & offert
æqualiter, non hunc nec illum contuens.

Quis non Justitiam, SCHILDI præclare Themista,
In Te videt, munus suum nunc exequi?

Non ignara etenim studiû magnique laboris,
cui Te dedisti, digna jam dat præmia:

Præmia digna Tui; quoniam consumere curas
dies tuos in Jurium turamine,

Ergò

Ergò nunc cœptis præsentibus atque futuris
Tuis suam Jehova det clementiam!

Hoc

*Dn. Matruqli suo de Honoribus Docto-
ralibus gratulans scripsit*

M. Johannes Güntherus Kirckheim.

Est sanè verum, nec quicquam veriùs unquam:
Non tibi per ventos assa columba venit.
Haut etenim somnus: non vinum præstat hono-
rem:


Nullus honor pigro; sedulus astra petit.
Hocce doces factò, Musarum splendide cultor,
Exemplò, SCHILDI, significasq; tuò,
Dum sequeris Patrem: ergò tibi nec præmia de-
sunt,


Ac meritis dignum nunc diadéma capis.
Profit honos: partum cuncti gratamur honorem:
commoda multa tibi & præmia multa ferat!

*Φιλίας καὶ ἐν Οὐρίας χάριν Clariss. Dn. Do-
ctorando & h. t. Commensali suo, sic ap-
plaudere voluit, debuit,*

Wolffg. Theodoricus à Volgsstädt/
Eq. Thur.

F I N I S.





200 A 6273

ULB Halle

3

002 846 500





56.

V. D. 17

Platon







Quod felix esse jubeat SS. & individua Trinitas!
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE
JURE
NONSCRIPTO,

Quam
Jussu & Autoritate
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi in Illustri
SALANA J^Ctorum Ordinis,
DIRIGENTE

VIRO
Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo
DN. JOHANN. VOLK. *Bechmann/*
J. U. D. celeberrimo, Consiliario Saxonico gravissimo,
Curiae Provincialis atque Scabinatus Adfessore spectatissimo, Pro-
fessore Publico eminentissimo, Da. Patrono atque Promotore suo z-
viternum honorando,

PRO LICENTIA
& in utroque Jure Privilegiis & honoribus DOCTORALIBUS
rite impetrandis,
Publico Doctorum examini offert

GEORGIUS LUDOVICUS *Schild/*

Arnstad. Thur.

Ad diem 13. Martii

In Auditorio J^Ctorum
Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ

Typis NISIANIS, ANNO dno 1761.